

Havel, Dalibor; Krmíčková, Helena

Transkripce ukázek

In: Havel, Dalibor; Krmíčková, Helena. *Paleografická čítanka : literární texty*. 1. vyd. Brno: Masarykova univerzita, 2014, pp. 97-118

ISBN 978-80-210-7081-3; ISBN 978-80-210-7084-4 (online : Mobipocket)

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/131271>

Access Date: 17. 02. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

Transkripce ukázek

UKÁZKA 1

Matthiae de Janov Regulae Veteris et Novi Testamenti

Vydáno: MATTHIAE DE JANOV dicti Magistri Parisiensis *Regularum Veteris et Novi Testamenti liber V De corpore Cristi*. Ed. Jana Nechutová, München 1993, s. 81–82. Rukopis *Mk* v aparátu.

Distinccio⁶⁵ 6

De ymaginibus

Quod corpus et sanguis Iesu Cristi in templo Dei in sacramento quiescens principaliter et maxime est adorandum, et quod alia omnia, que abducunt vel distrahunt ab adoracione sacramenti, in templo Cristi non sunt tolleranda.

In capitulo 32°.

Et ideo merito et sine contradiccione ob reverenciam infinitam huius sacramenti, in quo est plenitudo divinitatis corporaliter,⁶⁶ et ut tota sibi soli reverencia in templo Dei fieret et totus honor inpolutus, debet⁶⁷ omne illud in templo positum, ad quod vulgus plebeium habet respectum alicuius reverencie et stuporis, prout sunt per Dei ymagines, que venerantur⁶⁸ in ecclesia, ut in Luca et in Roma et alias ubicunque. Quibus status populus spiritum Iesu non habens exhibet magnam reverenciam et honorem, genuflexionem, candelarum oblacione et huiusmodi, ad quas venientes ad templum accurrunt nullum vel modicum habentes respectum ibidem presens ad corpus Iesu Cristi. Quod fit ex eo, quia rudis populus solum suos sensus insequentes fortiter movetur a talibus ymaginibus et ab apparencia earum splendida et artificiosa, et quia est promptus omnis talis homo ad ydolatrandum, eoquod facilius conceptus suos vel ymaginationem circumscribit et magis favorabiliter terminat ad creaturam quam deitatem, quia sunt sibi talia propinqua sue facul...

65 Ke staré foliaci, která byla zaznamenána v transliterovaném textu, nepřihlížíme. V edici *in margine* zaznamenáváme platnou foliaci.

66 K „plenitudo divinitatis corporaliter“ se vztahuje určení biblického místa na okraji – „Colossensium 2“ (verš 9). Glosy tohoto typu v edici nezaznamenáváme, ale biblický citát je určen ve věcném aparátu.

67 Text poněkud zatemňuje omise *eici* v našem rukopisu.

68 V textu není naznačeno zkracovací znaménko. Jde o písarskou chybu, proto zde doplňujeme „n“.

UKÁZKA 2

Andreae de Broda Tractatus de sumpcione

Vydáno: KADLEC, J.: *Studien und Texte zum Leben und Wirken des Prager Magisters Andreas von Brod*. Münster 1982, s. 167–168. Rukopis F v aparátu.

De sumpcione venerabilis preciosique sacramenti corporis ac sanguinis Domini nostri Iesu Christi.

An sufficit laicis fidelibus sub specie tantummodo panis illud preciosum corporis et sanguinis sacramentum accipere, multorum coactus instancia, quod michi videbatur, dicam. Et primo partis adverse tangere et solvere pro posse debeo motiva, quatenus amotis tribulis atque spinis semen bonum in terra bona melius valeat pullulare; secundo ponam aliqua pro consuetudine sancte matris ecclesie conservanda.

Primo dicit adversarius: Cristus ordinavit hoc tam secularibus quam spiritualibus et probare nititur per illud Iohannis 6: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Istam scripturam Iohannis si capere vult adversarius veluti sonat, tunc omnes parvuli, omnes infantes et omnes post perceptionem baptismatis inmediate morientes omnesque sine copia sacramenti Dominici decedentes non haberent vitam in semetipsis, et sic vita, que vere vita est, eternaliter privarentur. Sed quis hanc impietatem apprehendit? Pius enim Dominus Deus est et misericors. Quis enim dicere presumat ita durum vel eciam sic crudelem, ut perdat animas innocentes, eo quod suum sanguinem in re non biberent seu suam carnem effectualiter non manducarent, quam nec oportuno habere tempore potuerunt? Eciam graviter universalis erraret ecclesia sanctificando illos beatos Innocentes, quos Herodes occidit, quoniam non manducaverint carnem eius nec sanguinem eius in re biberunt, cum nondum fuisset institutum huiusmodi

UKÁZKA 3

Nicolai de Dresda Sermo ad clerum Nisi manducaveritis

Vydáno: NICOLAI (ut dicunt) DE DRESDA *Puncta*. Ed. R. Cegna. Varsovie 1996, s. 159–160.

in hoc peto me non habere suspectum, quasi vellem illam vel illam amplecti opinionem, sed istam fateor me tenere, quam apostolica ecclesia et veritas tenent et amplectuntur, cum dicit Bernhardus glozator super capitulo Cum Marthe, Extra, De celebracione missarum: De corpore Cristi tres sunt opiniones. Una dicit, quod illa substantia, que prius fuit panis et vinum, postea fit corpus et sagwis Cristi, De consecracione distincione II, Panis in altari. Secunda tenet, quod substantia panis et vini desinit esse et

tantum accidentia ipsarum remanent, scilicet sapor et calor et pondus, et sub illis accidentibus est corpus Christi. Et hec, dicit, approbatur De Summa Trinitate capitulo Firmiter, § Una. Forte melius diceret, quod prima approbaretur ibi, quia ibi loquitur de transsubstanciacione, cum dicitur: Una est vero fidelium ecclesia... transsubstanciatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina. Tercia dicit, quod remanet substantia panis et vini et in eodem loco et sub eadem specie est corpus Christi, De consecracione distincione II, Ego. Hec Bernhardus et Iohannes ibi. Et sic quelibet istarum dicit ibi esse corpus Christi. Idem per omnia dicitur De consecracione distincione II, canone 1, in gloza. Confidens ergo de solita misericordia Salvatoris, qui est lux vera, que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Iohannis I, et XXI distincione, Clericus, in fine, in quo secundum Ambrosium est omnis ratio superne sciencie et terrene, qui est earum caput et auctor, XXXVII distincione, § Hinc etiam Ambrosius, et ubi ipse deest, fundamentum et lapis angularis, ibi nullius boni operis edificium superedificari potest, Prima Corinthiorum III, et I questione I, Cum Paulus, ad idem De consecracione distincione IIII, canone ultimo, et de eius melliflua benignitate et lar...

UKÁZKA 4

Iacobelli de Misa De utilitatibus corporis et sanguinis sub utraque specie

Corde credendum est ad iusticiam et ore confitendum ad salutem, quod totus Christus cum sanguine et anima, spiritu et divinitate panis et vini habetur sub utraque specie.

Videtur cum quibusdam preclare communionis calicis sacrati ad vulgus adversariis, quod nichil operacionis in sacramento habet potus sanguinis Christi sub specie vini amplius quam sub panis specie, dicentes, quia omnimode tantum sumunt sub una specie, quantum sub utraque, et deducunt sic: peccatum est fieri per plura, quod potest fieri per pauciora. Sed sub una specie sumendo corpus Christi assumit totum et integrum Christum et sanguinem eius, ergo superfluit in alia sumere specie laycis sanguinem Christi de calice.

Sed⁶⁹ ut luculenter utilitas appareat communionis divinissime sub utraque specie et quam sit expediens hominum saluti presertim autem ipsa communio divinissimi calicis, pro qua hiis diebus labores et plurime difficultates emergerunt, est pensandum et toto corde credendum, quod sacramentum calicis et ipse sanguis Christi sub specie vini habet sibi proprios effectus saluti fidelium multum utiles; hoc sic deducitur. Christus Iohannis VI^o dicit: Caro mea vere est cibus; et subdens de sanguine suo specialiter non contentus, eoquod ubi est sua caro, ibi et sanguis continetur, dicit: et sanguis meus vere est potus.

69 Poznámka „nota“, která je na pravém okraji u tohoto řádku, je běžným upozorněním na text a v edici se k ní nepřihlíží.

Dicit Albertus Magnus libro suo De officio misse: Sangwis Cristi divisam habet operationem a corpore. Corpus enim dedit Cristus in communionem sui et membrorum, sangwinem autem dedit in redemptionem. Iste autem sunt divise operationes. Et infra: Divise essentialiter abinvicem sunt gracia communionis, scilicet in specie panis, et gracia redemptionis in specie vini. Hec ille. Patet ergo, quod digne mandu...

UKÁZKA 5

Iohannis Hus Expositio Decalogi

Vydáno: M. JAN HUS: *Expositio decalogi*. Ed. V. Flajšhans. Praha 1903, s. 35–36. Rukopis D v aparátu.

Nota secundum Augustinum hic prohibetur omne nocumentum, quod potest inferri proximo ore et opere falso. Et sic non solum prohibetur mendacium, sed etiam omne oris nocumentum, et non solum mendacium, sed etiam opus fictum, per quod decipitur proximus, quia mendacium est cristianum se dicere et opera Cristi non facere. Ideo notandum est 1°, quomodo fiat istius mandati transgressio in verbis mendosis, 2° in verbis proximo nocivis, 3° in operibus simulatis. Et secundum hoc istud preceptum habet triplicem expositionem.

Prima expositio: Non falsum testimonium dices contra proximum tuum, scilicet verbis mendosis. Pro quo nota, quod tria sunt genera mendaciorum: aliud est perniciosum, quod est malignitatis, aliud officiosum, quod est pietatis, aliud iocosum, quod est levitatis.

Sub mendacio pernicioso comprehenduntur primo illi, qui dicunt aliquid contra fidei veritatem et Scripture; secundo illi, qui contra vitam hominis vel famam mendacium locuntur, quales fuerunt falsi testes circa passionem et mortem Cristi; tercio illi, qui proximum suum in rebus suis exterioribus ofendunt, quales sunt, qui alios deferunt apud iudices vel tyrannos. Nota, quod non solum sunt falsi testes, qui mendacia proferrunt, sed etiam qui veritatem occultant. Unde Crisostomus super illo Luce 12: Nichil opertum, quod non reveletur, dicit: Non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens palam veritatem pro veritate mendacium loquitur, sed etiam ille, qui non libere pronunciat veritatem, quam libere nunciare oportet, aut non libere veritatem defendit, quam libere defendere convenit, proditor est veritatis. Nam sicut sacerdos debitor est, ut veritatem

UKÁZKA 6

Iohannis Hus De penitencia

Vydáno: IOHANNIS HUS ET HIERONYMI PRAGENSIS *Historia et monumenta* I. Ed. Matthias Flacius Illyricus. Norinbergae 1558, f. 37r (podle jiného rukopisu).

De penitencia

Sicut homo vulneratus in corpore habens spem, ut sanetur, querit scientem, pium et fidelem medicum, ut sibi corporalem medicinam pro sanitate adhibeat, sic et amplius sollicite vulneratus per peccatum debet querere spiritualem medicum scientem, pium et fidelem, qui sibi medicinam salutiferam administret. Medicus autem peritissimus, piissimus et fidelissimus est Cristus Iesus, de quo dicit beatus Augustinus: De celo magnus venit medicus, quia magnus per totum mundum iacebat egrotus. Ipse enim Dominus Iesus per incarnationem venit in mundum, ut sanaret peccato vulneratum genus humanum. Ipse est ille Samaritanus, qui vulnerato, spoliato et semivivo homini miseratus vinum infudit et oleum. Homo enim, qui peccatis infectus est mortalibus, ille incidit in latrones, scilicet demones, qui spoliaverunt eum virtutibus et gracia. Vulneraverunt eum in naturalibus, in intellectu, ut se vere non cognoscat: in memoria, ut beneficiorum Dei non memoretur, et in voluntate, ne virtutem plus eligat quam vicium. Et est semivivus

UKÁZKA 7

Iohannis Hus Expositio super Pater noster brevis

Naposledy vydáno: Mistr JAN HUS: *Výklady*. Ed. <J. Daňhelka>. Praha 1975, s. 685–686.

Expositio super Pater noster brevis

Pater noster excelsus in creacione, suavis in amore, dives in hereditate, qui es in celis speculum eternitatis, corona iocunditatis, thesaurus felicitatis.

Sanctificetur nomen tuum, ut sit mel in ore, cithara in aure, devocio in corde.

Adveniat regnum tuum iocundum sine permixcione, securus sine anmissione, tranquillum sine tribulacione.

Fiat voluntas tua sicut in celo et in terra, ut eciam que odis, odiamus, que diligis, diligamus et que placita tibi sunt, inpleamus.

Panem nostrum cottidianum da nobis hodie doctrinalem, penitenciam et virtuaalem, id est sacramentalem.

Et dimitte nobis debita nostra, que contra te conmisimus aut contra proximos aut contra nosmetipsos,

sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, qui nos offendant iniuria verborum aut molestia verberum aut ablacione rerum.

Et ne nos inducas in temptationem mundi, carnis et diaboli inimici,
sed libera nos a malo presenti, preterito et futuro, pene, culpe et miserie.
Amen, id est concedat Deus, qui sine fine vivit et regnat.

UKÁZKA 8

Iacobelli de Misa Ad honorem

Ad honorem omnipotentis Dei sueque sponse ecclesie et maxime ad profectum omnium parvulorum et adultorum per sanctum baptisma in vitam divinam regenerantium et in ipsa per sacratissimam eucharistie communionem sub utraque specie sensibilibiter pascendorum et confortantium, quatenus sic nutriti et pasti crescant in virum perfectum et in mensuram etatis plenitudinis Christi, ut tangitur Ephesiorum IIII^o.

Supposita consueta mea protestacione, qua semper paratus sum nedum a maiori vel equali, set a quocunque minimo fidei, ymmo ab asina Balaam, si illam loqui michi esset possibile, instrui, cogi et emendari et docto per scripturas aut rationes me aliud, quam deberem dicere vel facere, castigari, in primis tractabo Deo duce et ipso auctore sententiam catholicam de communione sacramentali omnium generaliter baptisandum et maxime parvulorum et hoc iuxta ritum et morem non hodie consuetudinis ecclesiastice, set ecclesie primitive, de qua dicit Beda in Omelia infra octavas Ascensionis, quod perfectum vite magisterium est⁷⁰ ecclesie primitive semper actus imitari, ut quorum nunc vestigia sequimur, ad eorum in futuro premia possemus pervenire. Hanc ergo ecclesiam primitivam iuxta huius sancti consilium velut ductricem omnium fidelium et magistram in arduissimis credibilibus et agibilibus semper proposui imitari et nedum pro sorore, set pro matre nostra, que desursum est, et nedum pro uno candelabro de septem aureo, ymmo pro ipsa luce, amare proposui et in ambiguis semper ad illam recurrere et spectare. Tunc enim sperabo me viam regiam premere et securis pedibus incedere, si cum illa et eius sanctis duabus⁷¹ ire conperiar, quorum facta, scripta et solidas doctrinas, quas ego post doctrinas piissimi et benignissimi Iesu Spiritu Sancto aflatas et in nos miseros posterius derivatas, immediatissime sequi proposui et per ipsorum regimina cercius regulari.

Volo in primis pro

70 Porušení textu vyjádříme v textové poznámce.

71 Písař našeho rukopisu se dopustil chyby a „duabus“ napsal místo správného „ducibus“. V textu edice bude správné „ducibus“, které mají ostatní rukopisy, tvar „duabus“ bude v textové poznámce.

UKÁZKA 9

Iohannis Hus De sacramento corporis et sanguinis Domini (incipit Sepius rogasti)

Vydáno: IOHANNIS HUS ET HIERONYMI PRAGENSIS *Historia et monumenta* I. Ed. Matthias Flacius Illyricus. Norinbergae 1558, f. 38v (podle jiného rukopisu).

Sepius rogasti, karissime, ut tibi aliquid de sacramento corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi scriberem, cuius fides inter sacratissima religionis cristiane puncta, ut communiter dicitur, continetur.

Quatuor enim sunt profundissima, secretissima et fidei nostre altissima secreta: primum de sacratissima Trinitate, secundum de Dei prescientia et de predestinatione, tertium de incarnatione Verbi et quartum de sacramento venerabili corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Unde in omnibus hiis quatuor punctis et in omnibus aliis credendis ego homuncio mentem meam Scripture Sacre subieci et subicio nichil volens penitus sentire vel asserere illi contrarium, sed credens firmissime secundum regulam beati Augustini quicquid vult Christus de se credi et nichil credens, quod vult de se non credi, credens etiam cum sancta matre ecclesia omnem veritatem credibilem, prout vult benedicta Trinitas ipsam credi, tenens etiam generalium conciliorum et sanctorum doctorum ecclesie sententiam explicite vel implicite, retinens etiam cordialiter, quod antequam vellem aliquid sancte fidei contrarium asserere, quod vellem in spe et auxilio Domini nostri Iesu Christi pati supplicium dire mortis. Unde sub ista protestatione quosdam scripsi libellos, docui, legi, respondi ab Universitate Pragensi et predicavi populo per regnum Boemie et specialiter Prage ewangelium Domini nostri Iesu Christi.

Sub eadem etiam protestatione fidei et humili, salvo meliori iudicio, tangam pro tui gratia

UKÁZKA 10

Iacobelli de Missa Determinacio de prostibulo, de scortis

Hic de scortis incipit

Quia lex divina cristianorum est munda et immaculata, per quam cristianus immaculate se debet custodire ab hoc seculo, et hec est lex caritatis et perfecte libertatis excludens omnem peccati servitutum, quam quilibet cristianorum tenetur explere per observanciam mandatorum et quilibet cristianorum ex hac lege caritatis tenetur quemlibet ad hanc legis observanciam iuvare et promovere verbis et factis, unusquisque secundum suam vocationem, et omnia peccata mortalia, que prohibentur sub pena eterne dampnationis, per hanc legem debent a quolibet et in quolibet summis viribus inpediri verbis et consiliis et factis hortamentis benignis, et post, si necesse est et expedit durioribus cum

moderamine, cominacionibus et correpcionibus, et talia peccata mortalia sive sint mortalia, sive privata, sive publica, sive in paucis, sive in multis publicanis nullomodo sunt nutrienda, fovenda vel nutrienda⁷² ex cristianis in communitate cristianorum, eoquod quelibet cristiana communitas debet esse sancta et debet omne malum ex se extirpare, sicut decet sanctos comovere se nutrire et defendere in observancia mandatorum Dei et contraria inpediencia mala sese iuvando destruere. Ex quo patet, quod scorta, fornicaciones extra matrimonium et ludi manifesti taxillorum cum eorum desperata blasphemia contra Deum, cum sint peccata mortalia et prohibita sub pena

UKÁZKA 11

Iacobelli de Misa Epistula de quibusdam punctis

Notare enim necesse est de comunione parvulorum post baptismum, quoniam quam cito quis generatur per baptismum ex Deo, ut sit filius vel filia Dei, tam cito capax est et indigens secundum interiorem hominem nutrimenti et refectionis spiritualis et divine in eukaristia, hoc est corporis et sanguinis Domini. Nam sicut generaliter pro omnibus dictum est et preceptum est a Domino illud Iohannis 3^o: Amen amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua⁷³ et Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum celorum,⁷⁴ per baptismum nullus sexus, nulla etas excipitur et nullus status, sed et parvuli obligantur, sic dum precepit Christus communicacionem eukaristie, necessitatem communitati fidelium de ea inponens et dicens: Nisi manducaveritis⁷⁵ carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis etc., ad omnes et fideles dicitur, nullus excipitur, nullus sexus, nulla etas, et parvulis post baptismum hoc etiam indicitur et precipitur, ut manducent corpus Christi sub forma panis et bibant sanguinem eius sub forma vini. Sicut enim ad salutem prerequisite in homine, quod nascatur ex Deo per baptismum⁷⁶ et necessitatem spiritualem inesse gratie requiritur, quod passatur, nutriatur spiritualiter per divinissimam eukaristiam corporis et sanguinis fidelis de quocunque statu etate vel condicione, ita quod sicut ex carne natum est, oportet pasci carnaliter et nutrir, sic quod natum est ex Deo per baptismum quoad vitam spi-

72 Opakované „nutrienda“ vzniklo písařskou chybou. Správné je „protegenda“, které mají ostatní rukopisy tohoto díla.

73 Glosy (tím spíše v národním jazyce) nezachycujeme v textu, ale dáváme je do textového aparátu. Nad „Nisi...aqua“ interlineární glosa: „jedne ač kto se opět nenarodí“. Doplnění „ktosi“ na „ktosi(e)“, v transkripci „kto se“, je provedeno analogicky podle Jana Husa (Mistr JAN HUS: *Výklady*. Ed. <Jiří Daňhelka>. Praha 1975, s. 158).

74 Nad „in...celorum“ interlineární glosa „v království nebeské“.

75 Nad „Nisi...carnem“ interlineární glosa „jedne nebudete-li“.

76 Porozumění textu poněkud brání omise v tomto rukopisu. Druhý existující rukopis, Jakoubkův autograf, čte na tomto místě ještě: „sic post baptismum“.

ritualem inesse gratie oportet, quod nutriatur et passcatur post baptismum corpore et sanguine Domini. Item si per baptismum regeneratus est iam filius Dei, heres celestis, et est templum Spiritus Sancti et quodammodo participacione Deus in quadam

UKÁZKA 12

Iacobelli de Misa Magna cena

Naposledy vydáno: KRMÍČKOVÁ, H.: *Studie a texty k počátkům kalicha v Čechách*. Brno 1997, s. 131–132. Rukopis *Mk* v aparátu.

Magna cena sacramentalis, quam fecit quidam homo, ymmo Deus et homo, ex cibo et potu sacramentalibus ad sumendum Cristi sacerdotibus et plebibus, dum comodosse haberi potest oportunis loco et tempore, est precepta. Supposito, quod hec Dominica cena sit generalis et summa medicina cristianis spiritualiter infirmis et fragilibus, sine tamen peccato mortali existentibus, in quocunque statu fidelium, secundum illud veridicum ecclesie:

Dedit fragilibus corporis ferculum,
dedit et tristibus sanguinis poculum etc.

et secundum illud Matthei 9^o: Non est opus valentibus medico, sed male habentibus, et iterum ibidem: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad penitentiam.

Isto presupposito arguitur sic: Omnes infirmi sanari cupientes a medico tenentur ex precepto medici suscipere crebro medicinam ab ipso traditam. Sed plebes et sacerdotes Cristi sine peccatis mortalibus existentes, adhuc in humanis fragiles ex fomite peccati proni semper ad malum, communiter sunt infirmi secundum animam sanari cupientes, ergo plebes et sacerdotes Cristi sine peccatis mortalibus, si sanari volunt, tenentur ex precepto medici supremi suscipere medicinam ab ipso traditam, scilicet cenam Dominicam sacramentalem, factam ex cibo et potu sacramentalibus. Consequencia nota est, et maior patet per beatum Augustinum Omelia XII^a super Iohanne dicentem sic: Ergo quantum in medico est, sanare venit egrotum. Ipse se interimit, qui precepta medici servare non vult. Et minor patet ex suppositione: Sepius enim plebes et sacerdo...

UKÁZKA 13

Galli Asserunt quidam

Naposledy vydáno: KRMÍČKOVÁ, H.: *Studie a texty k počátkům kalicha v Čechách*. Brno 1997, s. 137–138. Rukopis *Mk* v aparátu.

Asserunt quidam corpus Christi manducare et sangwinem eius bibere sub speciebus sacramentalibus esse preceptum et necessitatis et probare volentes ponunt primo hanc questionem: Magna cena sacramentalis, quam fecit quidam homo, ymo Deus et homo, ex cibo et potu sacramentalibus ad sumendum Christi sacerdotibus et plebibus, dum comode haberi potest opportunis loco et tempore, est precepta.

Contra hanc questionem admissio illo, quod cena sacramentalis vocetur cena magna (quod tamen restaret probare, quia sancti doctores dicunt cena Dominica, ut patet per Augustinum in Epistola ad Ianuarium; illam vero beatitudinem eternam, quam expectamus, dicunt cenam magnam fundantes se in verbo Ewangelii Luce XIII^o: Quam nemo virorum illorum, qui vocati sunt et renuerunt venire, gustabit), arguitur pro falsitate questionis: Magna cena sacramentalis etc. non est precepta, ergo nec dum comode haberi potest opportunis loco et tempore est precepta. Consequencia tenet a superiori negato ad inferius, si non stet oppositum consequentis, dum comode haberi potest loco et tempore etc., est precepta. Hec consequencia est taliter herencium huic opinioni – ergo precepta. Quod non stat cum primo antecedente, scilicet illo Magna sacramentalis cena non est precepta, quia est in forma contradicchio. Et quod antecedens primum, scilicet illud Magna cena sacramentalis non est precepta, sit verum, patet ex verbis beati Augustini ad Ieronimum, ut ponitur in canone distincione 12^a: Illa vero, que non sunt scripta, set tradita, custodimus, que quidem toto orbe terrarum observantur, datur intelligi vel ab ipsis apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in ecclesia saluberima auctoritas, conmmadata atque statuta retineri, sicut illud quod Domini passio et resurreccio et ascensio in celum, adventus Spiritus Sancti anniversalia solempnitate celebrantur, et si quid tale aliquid occurrerit, quod conservetur ab universis, quocunque se diffuderit ecclesia. Alia vero, que per loca terrarum regiones

UKÁZKA 14

Iacobelli de Misa Questio Utrum sacerdos nolens

Utrum sacerdos nolens populo ministrare corpus Christi sub duplici specie est seductor et hereticus.

Et videtur primo quod sic, nam omnis sacerdos nolens ex officio suo ministrare pertinens et requisitum ad salutem populo cristiano inpedit, quantum est in eo, viam salu-

tis in populo, et per consequens, ut sic seducit populum a via veritatis et suam propriam animam, ergo est seductor et hereticus. Consequencia nota est ex quid nominis similiter et maior.

In oppositum arguitur sic: Stat, quod sepe sacerdos alio modo meliori et utiliori serviat communitati plebium quam ministrando corpus Christi sub duplici specie populo, quod melius et utilius non posset eque bene simul et semel explere cum secundo, cum ergo secundum Philosophum primo Ethicorum inter duo bona inconpossibilia proposita, maiori scilicet et minori, maius bonum est eligendum. Videtur, quod sacerdos racionaliter potest in casu nolle ministrare corpus Christi sub duplici specie populo, ut eo liberior impleat maius bonum, et per consequens non oportet, quod talis sacerdos ex hoc sit seductor et hereticus, ergo questio falsa.

Quia in ista questione tangitur ministratio duplicis speciei sacramentalis ad communem populum cristianum, ideo de hoc erit primus articulus. Secundo est mencio de heretico et seductore, ideo in secundo articulo dicitur, quid sit heresis, et sic consequenter quid hereticus vel seductor. Et tunc 3^o queritur Utrum sacerdos nolens ex officio suo sacerdotali ministrare corpus Christi sub duplici specie sit seductor et hereticus? Et hoc est 3^{us} punctus.

Quantum ad primum de ministracione duplicis speciei sacramentalis erga populum cristianum constat, quod illa debet fieri primo ex hoc, quia ministratio duplicis

UKÁZKA 15

Iacobelli de Misa Articulus pro comunione sub utraque specie

Vydáno: KRMÍČKOVÁ, H.: *Articulus pro comunione sub utraque specie Jakoubka ze Stříbra*. Studie o rukopisech 39, 2009, s. 85–86.

nedum de spirituali tantum sumpcione exponit, sed et de sacramentali, dum homo id comodosse habere potest. Et ad idem dicit Gregorius in Omelia super illud Exodi XII; de signo Pascali, cuius saguine mandatum fuit utrumque postem linire, dicit: Quis saguis sit, qui super utrumque postem ponitur, non ore corporis, sed ore cordis.⁷⁷ Quis saguis sit, non solum iam audiendo, sed bibendo didicistis. Et hinc innuit, quomodo non solum ore cordis spiritualiter, sed et ore corporis sit sumendum. Et idem dicit Dionisius in libro De ecclesiastica ierarchia; loquens de bibicione saguinis sacramentali dicit: Etenim sacerdos panem absconsum parciens dividit et calicem coopertum dividet inter omnes. Et idem dicit Thomas de Aquino 3^a parte Sentencie sue querens, quare cum sacerdos miscet aquam vino sub sacramento vini, nisi quia aqua signat populos, ut dicitur Apokalipsis: Aque multe, populus multus, innuens, quod seculares et vulgares sumentes

⁷⁷ V textu je opomenuto „hauritur“, které čte Řehoř.

digne sanguinem Iesu Christi inmisceri et uniri debent Domino Iesu Cristo. Ex istis iam dictis sanctorum exemplis et operibus Iesu Christi et eius sanctorum apostolorum et institutionibus patet,⁷⁸ quod sic fuit tentum in ecclesia primitiva, scilicet quod in ecclesia primitiva fideles tam in⁷⁹ corpore, quam in sanguine Iesu Christi sacramentaliter sumebantur. Et sic habetur, quomodo inter omnia dona spiritualia nullum donorum spiritualium maius nobis Dominus dereliquit quam hoc sacrosanctum corpus et sanguinem suum, nam ex huius digna sumpcione sanguinis Domini Iesu Christi semper speciale donum largitur in anima sumentis.

Sed dicit aliquis: Tamen iam con...

UKÁZKA 16

Iohannis Hus De sanguine Cristi sub specie vini

Vydáno: IOHANNIS HUS ET HIERONYMI PRAGENSIS *Historia et monumenta* I. Ed. Matthias Flacius Illyricus. Norinbergae 1558, f. 43v (podle jiného rukopisu).

...ni circulum ordine constituto in divinis aguntur officiis.

Gwilhelmus de Monte Lauduno in sacramentali suo dicit, qui recipiendo corpus totam veritatem accipit, licet non totum sacramentum. Ideo in multis locis communicantur cum pane et vino, id est cum toto sacramento.

Lira super illo verbo Proverbiorum IX^o: Bibite vinum, quod miscui vobis, dicit, quod in primitiva ecclesia dabatur sacramentum sub⁸⁰ utraque specie.

Unde in antiquo Canone misse ponitur sic: Communicans alios dicat: Percepicio corporis Domini nostri Iesu Christi prosit anime tue et corpori tuo in vitam eternam. Sagwis Domini nostri Iesu Cristi proficiat tibi in remissionem omnium peccatorum tuorum ad vitam eternam.

Ex iam dictis videtur, quod licet et expedit laicis fidelibus sumere sagwinem Cristi sub specie vini. Nam licet corpus et sagwis Cristi sit sub utraque specie sacramentali, tamen Cristus non sine ratione nec gratis instituit utrumque modum sacramentalem suis fidelibus, sed ad magnum profectum. Nam modus manducandi sacramentalis sub forma panis est specialis modus figurandi et excitandi efficaciter ad manducacionem spiritualem. Et modus sacramentalis bibendi sub forma vini est specialis modus figurandi et excitandi mentem ex institutione Cristi ad gustandum suaviter effusionem Cristi sagwinis, quem effudit. Unde Matthei XXVI: Exhinc dixit ipse Dominus: Bibite ex hoc omnes. Hic est sagwis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem

78 Slovosled upraven podle kontextu, písař zřejmě zapomněl znaménko pro přehození.

79 „in“ dodáno podle analogie „in sanguine“.

80 „sub“ nahradilo „in“, nad nímž bylo nadepsáno.

peccatorum. Et I^a Corinthiorum XI: Hic calix Novum Testamentum est. Hoc facite, quocienscunque bibetis in meam comemoracionem. Et addit Apostolus: Quocienscunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.

UKÁZKA 17

Andreae de Broda Quaestio Utrum licitum sit

Vydáno: KADLEC, J.: *Studien und Texte zum Leben und Wirken des Prager Magisters Andreas von Brod*. Münster 1982, s. 166. Rukopis B v aparátu, bez kolofónu.

verba in uno canone De consecracione distincione 1 sic: Sagwis, qui a sacerdote sumitur, effusus est pro salute omnium animarum, et sic est verum; per hoc non habetur, quod plebi debet dari. 2^o modo intelligitur sic: Sagwis, qui est in corpore Cristi in sacramento oblato, ille effusus, et isto sub specie oblato sumitur a quolibet fideli.

Tunc ad illud, quod dicit iste, qui scribit michi in oppositum: Remissius fiet Sodomitis quam illis, qui recesserunt ab administracione bibicionis sagwinis, ut allegat Matthei X. Hoc intelligitur dupliciter: Primo de sacerdotibus, quod illi non recedunt ab anministracione bibicionis. Qui enim conficiunt, debent utique bibere sagwinem. Si autem qui michi scribit in oppositum, dicit, quod debet ministrari sagwinis Cristi plebi, et si non ministratur, quod omnes tales prelati gravius in extremo iudicio puniantur quam Sodomite, mentitur talis et seducit seipsum, quia vult omnes sacros Patres et sanctos homines et omnes episcopos a Cristo usque huc et omnes prelatos et plebanos dampnare, qui sic fecerunt semper usque in hodiernum diem. Sed hoc frivole et temere talia dicere presumit. Talis autem non est sane mentis in anima sua. Sed bene consulendum esset super talibus sermonibus illi, ut penitenciam ageret, quia illa auctoritas de Sodomitis transit ad alium intellectum, non ad intellectum de administracione bibicionis sagwinis Cristi. Igitur talis si magis vult certificari, legat concilia in Decreto et omnia inveniet.

Explicit tractatus magistri Andree Brod, professoris sacre theologie, de eo, quod non debeat laicis sagwis Iesu Cristi ministrari ad bibendum, probans et racionibus et sacris canonibus et doctoribus secundum suum posse contra eos, qui ministrant laicis sub utraque specie hoc venerandum sacramentum, quem fecit anno Domini MCCCCXV. De hac materia vide hic post sex folia, quomodo doctores sacri concilii Constancie reprobant comunicacionem laicis sub utraque specie ritum ecclesie necnon laudabilem consuetudinem communi dantes, qua presbiteri sub utraque specie sumunt, laici vero sub specie panis tantum etc.

UKÁZKA 18

Iacobelli de Misa Salvator noster

Vydáno: *Betlemské texty*. Ed. B. Ryba. Praha 1951, s. 105–108. Rukopis *M* v aparátu.

De comunione spirituali sacramentali integra sub duplici forma panis et vini communitatem plebium concernente etc.

Salvator noster Dominus Iesus, Novi Testamenti institutor, in cena sua novissima ante mortem accepit panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite, hoc est corpus meum. Similiter et calicem accipiens gracias egit deditque discipulis suis et ait: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meum Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, ut habetur Matthei XXVI, Marci XIII et Luce XXII. Ubi dando corpus suum sub forma panis sacramentalis et sanguinem suum ad bibendum sub forma vini sacramentalis, sic instituit ad manducandum corpus suum sub forma panis et bibendum suum sanguinem sub forma vini toti generationi postere fidelium usque ad diem iudicii in sui commemoracionem. Nam Luce XXII in serie verborum predictorum consequenter additur: Hoc facite in meam commemoracionem.

Et ne aliquis velit dicere, quia solis apostolis Dominus instituit ad hoc sumendum sub utraque modo supradicto, Paulus apostolus, fidelis interpretis legis Christi, istam cenam sacramentalem Dominicam communitati fidelium dicit esse institutam propter Domini passionis commemoracionem. Nam 1 Corinthiorum XI ita dicit: Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem et gracias agens fregit et dixit: Accipite et manducate. Hoc est corpus meum, quod tradetur pro vobis. Hoc facite in meam comemoracionem. Similiter et calicem, postquam cenavit, dicens: Hic calix Novum Testamentum est

UKÁZKA 19

Nicolai de Dresda Contra Gallum

Vydáno: KRMÍČKOVÁ, H.: *Studie a texty k počátkům kalicha v Čechách*. Brno 1997, s. 165–166. Rukopis *Mk* v aparátu.

Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, Iohannis VI. Secundum Thomam parte III Sume sue, questione LXXIX: Spiritualis manducacio includit votum sive desiderium percipiendi hoc sacramentum. Et ideo sine voto percipiendi hoc sacramentum non potest haberi salus. Frustra autem esset votum, nisi inpleretur, quando oportunitas adesset. Et ideo manifestum est, quod homo tenetur hoc sacramentum sumere non ex statu ecclesie, sed eciam ex mandato

Domini dicentis: Hoc facite in meam commemorationem, et: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis etc. Et sic secundum illum homo non solum ex statu ecclesie, sed etiam ex mandato Domini tenetur communicare non solum spiritualiter, sed etiam sacramentaliter, quia dicit hoc sacramentum sumere. Ideo dicitur per eundem: Non potest esse laudabilis humilitas, sed contra preceptum Cristi et ecclesie si aliquis a comunione abstineat. Ecce dicit esse preceptum, et sic habemus per eundem, quod est mandatum et preceptum. Et quando obicitur de centurione, dicit idem: Non enim preceptum fuit centurioni, ut Cristum in sua domo reciperet. Unde dicit, quod quantum ad adultos utrumque est necessitatis, scilicet baptismus et hoc sacramentum. Et sic habemus, quod sit mandatum et preceptum necessitatis maxime quantum ad adultos. Unde sequitur per eundem, quod peccatores magnum detrimentum paciuntur ex hoc, quod repelluntur a percipione huius sacramenti. Unde per hoc non sunt melioris conditionis, et licet in peccatis permanentes non excusantur per hoc a transgressione precepti. Hec secundum Thomam. Statutum est ergo in concilio generali per Innocencium III Extra, De penitentiis et remissionibus, Omnis, ut adminus in Pascha a fideli suscipiatur evkaristie sacramentum. Alioquin et vivens ab ingressu ecclesie arciatur, et moriens cristiana sepultura

UKÁZKA 20

Iacobelli de Misa Defensio Wenceslai IV contra figmenta eundem hereticancia concilii Constanciensis

Vydáno: SEDLÁK, J.: *Počátkové kalicha*. Časopis katolického duchovenstva 55 (80), 1914, s. 117–118.

In respondendo hiis figmentis, quibus noster dominus rex hereticatur sive suspectus redditur de heresi, notandum est primo, quid sit heresis, et pro illo supponitur dictum Augustini 24, questione 3^a: Hereticus est, qui alicuius temporalis conmodi et maxime glorie principatusque sui gracia falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur. Et ibidem Ieronimus tangens differentiam inter heresim et scisma dicit: Heresis est perversum dogma. Ex quo videtur, quod heresis est dogma falsum, Sacre Scripture sive legi Cristi contrarium, pertinaciter defensatum.

Secundo supponitur, quod summere eukaristiam integram sub forma panis et vini plebibus est ewangelicum institutum observandum a Cristi plebibus usque ad diem iudicii. Patet, quia comunio huius divinissime eukaristie integre est cena magna sacramentalis, quam fecit quidam homo singularis, qui est et Deus, in vespere mundi plebibus, ultra quam cenam non est alia refeccio post hanc ante diem iudicii expectanda, igitur etc. Et sic Paulus magnus per revelacionem accipiens intellectum huius puncti

ewangelici tradit ecclesiis et communitatibus sic observandum usque ad diem iudicii dicens 1^a Corinthiorum 11^{mo} Cristi plebibus: Quocienscunque manducabitis panem hunc et calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Et alibi est hoc ostensum multis autoritatibus sanctorum, igitur suppositio vera.

Ex quibus patet primo, quod sacerdotibus ministrare et plebibus Cristi sumere eukaristiam integre sub utraque specie non est erroneum et sic nec hereticum, et per consequens dominum regem Boemie in hoc tales fovere et defendere, nisi est fovere vel defendere ut sic hereticos in heresi vel errore, sed in observancia ewangelica. Et

UKÁZKA 21

Iacobelli de Misa De comunione parvulorum

Vydáno: *Betlemské texty*. Ed. B. Ryba. Praha 1951, s. 141–144. Rukopis *P* v aparátu.

De comunione parvulorum

Comunio⁸¹ parvulorum baptisatorum colligitur ex infra scriptis Iohannis VI^o capitulo: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Iste textus intelligitur de manducatione sacramentali et spirituali simul, ut patet per Glosam interliniarem et ordinariam super eodem. Patet etiam per Augustinum, De consecratione distincione II^a, preterea quidem per Scotum Super III^o, distincione II^a, questione I^a.

Matthei XXVI^o: Accipite et comedite, hoc est corpus meum, et consequenter: Bibite ex hoc omnes. Quarum figuram in isto gerebant apostoli, coniecturet fidelis, quia hic dicitur: Bibite ex hoc omnes.

Item 1^a Corinthiorum X^o: Omnes de uno pane et de uno calice participamus. Ecce Apostolus dicit: omnes.

Dyonisius De ecclesiastica ierarchia dicit: Pueros, nondum divina intelligere valentes, sancte participes Dei fieri generacionis et sanctissimorum thearchice communionis signorum, id est secundum Comentatorem ibidem, baptismi et eukaristie. Et signanter dicit Dyonisius pueros nondum divina intelligere valentes, ne veritatis emuli dicerent dicta sua intelligenda de pueris usum rationis habentibus.

Item idem Dyonisius eodem libro, de eukaristia capitulo III^o: Nullum enim sacramentorum aliorum vere celebratur, in⁸² quo sacra comunio non sumatur ad insinuandum videlicet, quod nullum sacramentum ad veram penitentiam adducit, in quo eukaristia sancta non sumitur. Hec ibi. Ecce notanter dicit: Nullum aliorum sacramentorum vere celebratur etc. Ex quibus verbis patet, quod in hoc loco facit mencionem de sacramento

81 Chybějící iniciálu restituujeme do textu, ale omisi vyjádříme v aparátu: <C>omunio.

82 Nadepsáno „in ecclesia in“

altaris, cum dicit, in quo sacra communio non sumatur. Et etiam cum subditur, in quo eukaristia sancta

UKÁZKA 22

Iacobelli de Misa Posicio de percepcone corporis et sanguinis sub duplici specie (inc. Quia heu in templis)

Posicio magistri Iacobi de Miesa de percepcone venerabilis sacramenti sub bina specie

Quia heu in templis cristianorum opera hominum inventicia et incerta, nimis splendida coram oculis hominum, ut ymagines, ossa sive reliquias vocatas sanctorum, per aurum et argentum artis subtilitate exornatas, communiter plus mirantur, stupent et venerantur quam opus Dei perfectum in divinissimo ac iugi sacrificio corporis et sanguinis Cristi in conspectu filiorum hominum preparato, quia etiam in quibusdam excitatur spiritus ad sumendum etiam laycis corpus et sanguinem Cristi sub utraque forma sacramentali sicut a sacerdotibus, aliis autem non videtur hoc esse expediens, ideo pro ista materia aliquantulum discutienda et ad probandum spiritus, si ex Deo sunt, et ut etiam promoveatur ex hoc honor et reverencia, amor et devocio atque fidele desiderium in templis cristianorum ad hoc beatificum sacramentum et supercelestem ac iuge sacrificium corporis et sanguinis Cristi ceteris ficticiis et adinventionibus hominum postergatis movetur ista questio:

Utrum expediens et necessarium sit ex institutione Cristi, quod communitas fidelium personarum laycalium sumat sepius corpus et sanguinem Cristi sub duplici forma sacramentali?

Et arguitur quod non, quia consuetudo est antiqua ecclesie laudabilis currens usque modo, quod fideles communiter layci, scilicet et mulieres, sumant sub uno sacramento utrumque, scilicet tam corpus quam sanguinem Cristi. Et creditur, quod magna multitudo fidelium mandata Dei custodiens et digne sumens corpus et sanguinem Cristi tantum sub forma sacramentali panis, decidens de hoc seculo transit de morte ad vitam, ergo adhuc non est mutanda ista consuetudo, sed tenenda continue, et per consequens non oportet personas laycales corpus et sanguinem Cristi sumere in sacramento calicis, presertim cum sic populum obligare ad communicandum de calice esset onerare ecclesiam novis et superfluis

UKÁZKA 23

Iohannis Hus De sufficiencia legis Cristi

Vydáno: IOHANNIS HUS ET HIERONYMI PRAGENSIS *Historia et monmenta* I. Ed. Matthias Flacius Illyricus. Norinbergae 1558, f. 44v (podle jiného rukopisu)

Cum sapientum requirat condicio verba hominis prius sollicite audire, audita iudicio rationis discutere, discussa pio pensare animo et tunc pensata sincera consciencia iudicare, cavendo iram, invidiam, odium et vanam gloriam, que inpediunt animum, ne possit cernere verum, et subvertunt iusticiam iudicantis; unde locuturus ego homuncio ignarus coram tocius mundi, ut puto, sapiencioribus, obsecro per Iesu Cristi, veri Dei et veri hominis, misericordiam iuxta modum iam expositum cum silencio me audiri. Scio enim ex dicto Nicodemi Iohannis VI^o posito, quod lex non iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso et cognoverit, quid faciat. Unde eciam dicit Iudex iustissimus Luce VI^o: Nolite iudicare, et non iudicabimini, nolite condempnare, et non condempnabimini.

Conabor autem ego minimus sacerdotum, sicut conatus sum prioribus temporibus, in me legem Cristi ad usum reducere cavendo, quantum donaverit Dei gracia, a zelo vindicte, invidia et inani gloria, et intendendo cordialiter Dei honorem, veritatis professionem, extirpacionem suspicionis sinistre in proximis et deffensionem legis Cristi. Debeo siquidem ipsam legem Cristi prestantissimam diligenter, patienter et humiliter defendere, cum Cristus Iesus et sui discipuli sic fecerunt, et quia omnem fidelem hominem necesse est a Cristo Iesu incipere tam obiective quam effective dante primam fidem principaliter, eo quod oportet omnem fidelem incipere a primo principio, cum ipsum sit primo notum, et ipse Cristus, Verbum Dei, est principium primo notum, ut ex confessione sua evidet. Nam Iudeis ab eo querentibus, quis esset, respondit: Principium, qui et loquor vobis, Iohannis VIII^o. Nec dubium, quin ipse sit primum principium, quod est Deus, nam Apokalipsis I^o scribitur: Ego sum Alpha et O, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est et qui erat et qui venturus est, omnipotens. Cum ergo quoad deitatem oportet Cristum Iesum esse primo cognitum in conmuni et quoad humanitatem oportet ipsum esse primo congnatum

UKÁZKA 24

Jan Čapek: Otázka nyní taková běží

Naposledy vydáno: SVEJKOVSKÝ, F.: *Veršované skladby doby husitské*. Praha 1963, s. 90–91. Rukopis *D* v aparátu.

Otázka nyní taková běží
mezi svěckými i také kněží,

slušie-li však věrným křesťanóm,
ženám svěckým anebo mužóm,
z kalicha přijímati krev boží,
čili jest to ustaveno toliko kněží.

Matthei 26: Cenantibus autem illis accepit Iesus panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis dicens: Accipite et comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gracias egit et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

<K>ristovoť jest ustavenie
všem věrným i oslavenie,
svatý Matúš jestiť svěděk,
že Kristus u Veliký čtvrtek
vzem chléb žehnal, potom lámal
a svým učedlníkóm dával
a řekl: Vezměte a jezte,
toť jest tělo mé zajisté.
Potom také kalich jest vzal
a Bohu Otci chválu vzdal
i řekl: Píte všichni z něho,
toť krev Zákona Nového,
neb mnohým hřiechóm na obmytie
budeť této krve vylitie.

1^a Corinthiorum 11: Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accipit panem et gracias agens fregit et dixit: Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cenavit, dicens: Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quocienscumque bibitis, in meam commemorationem.

<S>vatý Pavel také píše
řka: Jáť sem vzal od Ježíše
to, cožť sem Korintóm vydal.
Kristať sem v tom následoval,
že Pán Ježíš před umučením
v tu noc a před svým zrazením
vzem chléb žehnal, potom lámal
a svým učedlníkóm dával
a řekl: Vezměte a jezte,
toť jest tělo mé zajisté.

Potom také kalich jest vzal,
 když jesti byl odvečeřal,
 řka: teď kalich Zákona Nového
 jestiť

UKÁZKA 25

Jakoubek ze Stříbra: *Zpráva, jak Sněm konstanský o svátosti večeře Kristovy nařídil*

Vydáno: *Dvě staročeská díla Jakoubka ze Stříbra*, ed. Mirek Čejka. Brno 2009, s. 91.

Pane milý! O Božie krvi přijímaní v obecném lidu křesťanském v nalezení a položení konstanském napřed popsaném mezi mnohými kusy tento jest prvý: V některých krajinách někteří všetečně jistiti smejí, že lid křesťanský svátost Božieho těla a Božie krvi má přijímati pod obojí způsobu chleba i vína.

K tomu najprv odpovídám a vyznávám, že podlé ustavenie Čtenie svatého a samého Pána Jezu Krista za stara dávna v cierkvi svaté lid Boží křesťanský obecní přijímal jest Božie tělo a jedl pod chlebnú způsobu a pil jest Boží krev duchovně a posvátně pod způsobu vinnú; a jakož jest drženo, tak jest mělo býti a ještě má býti v Božém lidu křesťanském, jakož o tom die svatý Pavel v Prvnie epistole Korinthóm v jedenadctém rozdielu: Zkus sebe sám člověk a tak z toho chleba jez a z toho kalichu pí, totižto posvátného. A potom, že to nemělo přestati v lidu Božiem křesťanském, die dále: Kolikrát kolivěk budete jísti chléb ten a kalich budete pít, smrt Pána budete zvěstovati, ažť i přijde, totiž v súdný den. Ale že se tu v tom kusu přidává, že v některých krajinách někteří to všetečně vedú a na které by se to mienilo nežli na mě i na ty na jiné, ješto vedú to? Ale poznavšě tu Boží pravdu, pro bázěn Boží nebudem-li jie mlčeti a úmyslem

UKÁZKA 26

Zlomek sakramentáře s modlitbami na 15.–17. neděli po oktávu sv. Ducha

...sidiis non desinis adiuvare perpetuis tribue gaudere et mentis et corporis. *Per.*

DOMINICA XV POST OCTAVAM PENTECOSTE

Custodi, Domine, quesumus, ecclesiam tuam propitiatione perpetua et quia sine te⁸³ labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis et abstrahatur a noxiis et ad salutaria digiratur. *Per.*

83 Psáno na razuře.

SECRETA

Concede nobis, Domine quesumus, ut hæc hostia salutaris et nostrorum fiat purgatio delictorum et tuę propitiatio potestatis. *Per.*

AD COMPLENDUM

Purificent semper et muniant tua sacramenta nos, Deus, et ad perpetuę ducant salvationis effectum. *Per.*

ALIA

Presta nobis, misericors Deus, ut placationem tuam promptis mentibus exoremus et per sacramenta, quę sumpsimus, peccatorum veniam consequens a noxiis liberemur incur-sibus. *Per.*

DOMINICA XVI POST OCTAVAM PENTECOSTE

Ěcclesiam tuam, Domine, miseratio continuata mundet [et] muniat, et quia sine te non potest salva consistere, tuo semper munere gubernetur. *Per.*

SECRETA

Tua nos, Domine, sacramenta custodiant et contra diabolicos tueantur semper incur-sus. *Per.*

AD COMPLENDUM

Mentes nostras et corpora possideat, Domine quesumus, doni cęlestis operatio, ut non noster sensus in nobis, sed iugiter eius preveniat effectus. *Per.*⁸⁴

ALIA

Adesto, Domine, supplicationibus populi tui et nihil de sua consciencia pęsumentibus ineffabili miseratione succurre, ut quod non habet fiducia meritorum, conferat largitas invicta donorum. *Per.*

UKÁZKA 27

Zlomek lektionáře s pasáží z Dn 3,1 – 3,5**LECTIO DANIELIS [PRO]PHETE**

In diebus illis:

NABU[CH]ODO[N]OSOR REX FECIT STA-

tuam⁸⁵ [aur]eam alt[itu]dine cubitorum LX, latitudine cubit[orum] VI^a et s[tatu]it eam in campo Duram⁸⁶ provincię Babylonis. Itaque [N]ab[uch]odonosor rex misit ad congregandos satra[pa]s m[a]gi[stra]tus et iudices, duces et tyranno[s]⁸⁷ et prefectos omne-

84 Pasáž „fectus P(er)“ připsána po odrážce označené symbolem „§“ o dva řádky výše na volné místo za rubrikou.

85 Opraveno z původního chybného „statuit“ umístěním tečky pod poslední „t“ a nadepsáním „a“.

86 Nad slovem umístěna neuuma.

87 Opraveno z původního „tiranno[s]“ nadepsáním „y“ nad písmeno „i“.

sque pr[in]ci[p]es [regi]onum, ut convenirent ad dedicationem statu[ę], [qu]am [er]ex[er]at Nabuchodonosor rex. Tunc congregati sunt [sat]rap[ę] m[agi]stratus et iudices, duces et tyranni et optim[ates]⁸⁸, q[ui] er[ant] in potestatibus constituti et universi princip[es] [r]eg[i]o[n]um, [u]t convenirent ad dedicationem statuę, quam [erex]er[at] N[abu]chodonosor rex. Stabant autem in conspectu [sta]tu[ę], qu[am] p[os]uerat Nabuchodonosor rex et preco clama[bat] va[l]lenter: Vobis dicitur populis tribubus et linguis in hora, [qu]a [au]di[er]itis sonitum tubę et fistulę et cytharę, sambu[çę] et p[sal]t[er]ii et symphonię et universi generis musicorum [c]ad[en]te[s] a]dorate statuam auream, quam

UKÁZKA 28

Zlomek žaltáře obsahující Ps 26,1 – 26,6

DOMINUS

illuminatio mea et salus mea, quem timebo?

Dominus protector vite mee, a quo trepidabo?

Dŭm appropiant su[per] me nocentes,

ut edant carnes meas,

qui tribulant me inimici mei,

ipsi infirmati sunt et ceciderunt.

Si consistant adversum me cas[tra,]

non timebit cor meum,

si exurgat adversum me prelium,

in hoc ego sperabo.

Unam pecii a Domino, hanc requiram:

ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus⁸⁹ vite mee,

ut videam voluntatem Domini

et visitem templum eius,

quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum,

protexit me in abscondito tabernaculi sui,

in ...

88 Nad slovem umístěna neuma.

89 Místo správného „omnes dies“.